Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

consilium. VI. intellectus. VII. sapientia. Congruit ergo timor domini pauperibus spiritu. id est humilibus corde. de quibus dicit apostolus. Noli altum sapere id est noli extolli. sed time. Pietas congruit mitibus qui non resistunt malo. nec reprehendunt quod non intelligunt in sacris paginis. Scientia convenit lugentibus. qui dum sciunt deflent mala quibus detinentur. Fortitudo congruit esurientibus et sicientibus iusticiam. quia fortiter laborant ut a malis omnibus eruantur et bonis satientur aeternis. Consilium congruit misericordibus. quia hoc est salubre consilium ut subveniamus aliis in quantum possumus. ut nobis subveniatur a domino in quo non possumus. Intellectus congruit mundis corde qui purum habent oculum mentis ad contuendum bonum illud quod nec oculus vidit nec auris audivit. nec in cor hominis ascendit. Sapientia convenit pacificis qui domando in se concupiscentias carnis omnia in se componunt et ordinant ut ad veram pacem quandoque perveniant. Et quia dixerat dominus superius discipulos suos persecutiones passuros pro confessione nominis sui. ut eos corroboraret. subiunxit. Sic enim persecuti sunt prophetas. qui fuerunt ante vos. Magna namque consolatio datur homini in tribulatione posito. si recordatur alios passos qualia ipse sustinet. Accipit enim inde constantiam et desiderat pervenire ad illum laudabilem finem ad quem cognoscit illos pervenisse. Et est sensus. Nolite mirari vos passuros persecutiones. cum similia multi passi sunt et prophete qui fuerunt ante vos. mementote vos illius esse apostolos cuius et illi fuerunt prophete. Hinc petrus ait. Scientes eandem passionem ei que in mundo est vestre fraternitati fieri. id est pudeat vos solos non vincere cum omnis vestra fraternitas vincat. Et paulus. Noli vinci a malo. sed vince in bono malum.

Vos estis sal terre.

Quia superius dixerat dominus discipulos suos persecutiones passuros pro confessione nominis sui. ut eos consolaretur. premisit donum dicens. Vos estis sal terre. Ac si dicat. Persequentur illi. sed nolite timere. quia sal terre eritis etiam persecutorum vestrorum. Sal per aquam et ardorem solis et flatum venti ex alta natura commutatur in altam. Sic et apostoli et apostolici viri per aquam baptismatis et ardorem fidei et flatum id est donum sancti spiritus ex terrena generatione commutati sunt in spiritalem. Omnes quidem indigent sale. id est gustu celestis sapientie. Unde paulus ait. Omnes peccaverunt et egent gloria dei. Salis autem natura hec est. Exsiccat humores aufert fetorem. non sinit procreari vermes. Ita et celestis sapientia ex[...]siccat humores carnalium dele[...]ctationum. aufert fetorem male con[...]versationis. non sinit procreari ver[...]mes libidinis ac cogitationis libidinose. et extinguit illum vermem de quo ysaias ait. Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. Cuius terre sal dicuntur apostoli. Homi